



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Adoratione Eucharistiæ

Boileau, Jacques

Viennæ, 1743

Cap. II. Diluitur objectio Dallæi, assumpta ex S. Justino Martyre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49201](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49201)

CAPUT II.

*Diluitur objectio Dallæi, assumpta
ex S. Justino Martyre.*

I. **C**ontendit Minister, S. Justinum Apologia II. pro Christianis, integrum retulisse ritum, quo Christiani sua ætate sacram Eucharistiam celebrare solebant: & cum ex conceptis verbis ejusdem, adorationem non animadvertat, nemini impositam fuisse necessitatem adorationis firmiter defendit. Hæc verba S. Justini, quæ suæ fictioni putat conducibilia, refert: *Panis, & vinum, & aqua offertur, & Propositus itidem quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat, dicens, Amen. Et distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratia sunt acta, cuique præsentibus, absentibus autem per Diaconos mittitur.*

Respons. Non dicit S. Justinus conceptis verbis, in his precibus veteres Christianos Deum adorasse. Quis tamen ex his concludat, Deum non fuisse

fuisse adoratum? Enimvero cum primi Christiani Deum esse ubique existimaverint, ubique adorandum existimasse non dubitandum est. At vero si ubique adorandum, ubique existentem crediderunt: dubitandi locus non relinquitur, quin corpus & sanguinem Christi in Eucharistia adoratione dignum reputaverint; siquidem in ea esse & revera existere sibi persuaserint. Quamobrem cum hanc fuisse Justini, adeoque primitivæ Ecclesiæ, fidem ex continuo Apologiæ II. sermone intelligere necesse sit, eundem in Eucharistia Christum adorandum existimasse, luce meridiana clarius est.

Hæc sunt verba pag. 98. ἡ γὰρ ὡς κοινὸν πῶμα ταῦτα λαμβάνομεν· ἀλλ' ὃν τρόπον θεοῦ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σὰρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔχεν· ἕτως καὶ τὴν δι' ἑξῆς λόγου τὸ παρ' αὐτοῦ εὐχαρισθεῖσαι τροφῶν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σὰρκες καὶ μεταβολῶν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνης τὸ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σὰρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.

Non enim ut communem panem, neque communem potum ista sumimus. Sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus JE-

SUS Christus Servator noster & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratia sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius JESU carnem & sanguinem esse docti sumus. Quis enim ex his non intelligat, ipsummet sanguinem & carnem in Eucharistia ab hominibus percipi, quam Verbum divinum in ipsa incarnatione assumpsit? atque ex his non concludat naturaliter, carnem in incarnatione assumptam adoratione dignam, eadem adoratione in Eucharistia indignam non evadere?

II. At vero si fateri velint homines Protestantes, S. Justinum eo loci integrum & perfectum retulisse Eucharistiæ ritum sua ætate usu Christianorum & consuetudine receptum; eosdem recognoscere necesse est, quantum a majorum institutis recesserint, & antiquæ Ecclesiæ alescentis mores disturbaverint: quippe cum ritum deferendi Eucharistiam ad absentes, in

Gal.

Gallia præsertim penitus abrogaverint. Eos etiam fateri opus est, Christum Dominum in prima institutione Cœnæ eandem plebi Christianæ sub utraque specie non administrasse: quippe cum observet S. Justinus, Dominum solis Apostolis eam tradidisse, *ὃς ἰόνους αὐτοῖς μετέδωκεν.*

Porro cum S. Justinus inter Eucharistiæ ritus, aquæ mixtionem cum vino recenseat, de qua in Evangelicis & Canonicis Scriptoribus nulla mentio est: argumenta negativa, quæ ex silentio Scripturæ Dallæus assumpsit, quæque supra hujus lib. II. cap. I. expendimus, supervacanea omnino esse, ipsum non diffiteri necesse est.



CAPUT III.

Diluitur objectio assumpta ex traditione trium priorum Ecclesiæ sæculorum.

I. **I**N magna paucitate Scriptorum Ecclesiasticorum, qui tribus primis